



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ivlii Cæsarisi Scaligeri Epistolæ & Orationes

Scaliger, Julius Caesar
Lugduni Batavorum, 1600

Atticus Marco S. D. LXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

Pro furacissima lupa Iudex causam dicis:
Iudex idem, actor idem non tam illius in-
nocentiæ, quam index vecordiæ tuæ.

Reliqua desiderantur.

A T T I C V S M A R C O

S. D. L X I V.

M I H I vero tumore iracundiæ mentem
ademptam lectis tuis literis intellexi.
Vereor ne sero. Ita Clitipho mihi iam in ore
cheu, quam ego nunc totus mihi displiceo.
quam pudet? neque quod principium inue-
niam ad placandum scio. Ad deprecatio-
nem confugio. suspicatus sum immerentem
traduci. Satis habeo exploratum non tradi-
tum. contumeliam neque facere neque
pati possum. putabam factam. agnosco non
factam. adeo impotenti animo me fuisse
contra morem meum, legem senectutis, ut
te lacefferem? quem ego, ita me Dii ament,
in patris locum semper subdidi, ut Silium
tuum in locum filii. Itaque ad illud rursus
redeo ex vetere comoedia: Tibi pater me
dedo. quoduis oneris impone: impera. Me-
mini relinqui me Deo irato meo, cum tam
petulantes exararem. Habes deprecato-
rem

rem, satis opinor modestum. Mihi ita displiceo, donec te placatum ex tuis literis intellexero, vt nihil ausim aliud scribere. Vbi resciero placatum, ad vetus officium redibo. Vale. Marta Valeria vxor partui vicina multam tibi tuisque salutem adscribit. Ego Siluium saluere iubeo. Vale.

ATTICVS MARCO

S. D. LXV.

EXHILARATVS sum tuis literis postremis. & opinor simul ad delicias tuas redisti apud Agennum tuum. hilaritatis plus ex restituta vbi salute recepisti. Libros tuos in omnium esse ore lætor. Quid autem de Poetica? quousque tandem lucem effugiet? Empedoclis posteriores versus valde mihi probantur. *Tumore* autem, vt vere diuinasti, reponendum fuit in Græco, vnde obscuritas nata est, vt opinor. Bona tua venia dicam. Videre mihi ::::: erutos illos locos ex antiquitate parui facere. At qui legere tuos de Plantis, magni eos eo nomine faciunt. Vale & nos ama, & effice, vt redeamus ad litterarias confabulationes, vt polliceris: Siluio tuo. S.P.

O 5

MARGA-